



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCXLV. De Morte XLV. Lethowinorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

essent: Paruit Princeps Pontifici è superum, ut putabat, mente, legitime consilium expediendi. Ceremoniis omnibus ritè perfolutis, arci locum designat, montis editi caput, in quo urum nuper occiderat; Arcam Svintoroha nuncupatam, quam ad radicem ejus montis Vilna fluvius flexuoso sinu ambit, aggeribus, palis ac loricâ permuniri jubet, reliquum spacii urbanis ædificiis relinquitur, & hæc de Origine Urbanis Vilnæ Kojalovvicz *part. I. Lib. VII. p. 262. seq.*

(b) Oher legit Stryikovvski.

CAP. CCCXLV.

De.

Morte XLV. Lethovinorum.

Eodem anno & tempore quidam de Episcopatu Warmiensi dictus Muko cum XIX. latrunculis vadens versus Lethoviam, invenit XLV. equites Lethovinos in solitudine, & subtiliter circumveniens eos omnes interfecit.

CAP. CCCXLVI.

De eodem.

Idem Muko tempore alio cum paucis latrunculis exiit contra infideles, & dum venisset in solitudinem, vidit plures equites de Lethovvia, & expavescens illorum multitudinem & potentiam, rejecit de humeris suis cibum & potum, & quicquid eum poterat gravare, & cum sociis suis fugit & evasit. Quo facto idem Muko turbatus post multa consilia dixit ad socios suos; Oportet nos mori fame, quia cibum non habemus. Consulo ergo ut moriamur honestè. Sequamur hostes nostros & videamus si possumus aliquid proficere contra ipsos, quod cum placuisset omnibus, accesserunt secretè noctis tempore, & omnes occi-